

- Frgm.  
XV Hanc loquacem Siciliam non despexit.  
*Loquacem* videtur *Siciliam* dicere, quod plerosque de pecuniis repetundis accusaverant, \*sed ut scimus ipsum C. Verrem.
- Frgm.  
XVI Accesserunt ita pauci, ut eum non ad conti- 5  
onem, sed sponsum diceret advocasse.  
Aere alieno gravatum et supra dixerat Clodium; solebant autem versuram facientes quasi ad spem solutionis futurae sponsores dare. Verum hic volens eius perfidiam denotare ait non aliter paucos ad rostra venisse, 10 quam si convocasset eos, qui pro se sponderent. Multos enim fefellerat, cum periculo sponsionis adstringeret.
- Frgm.  
XVII Cuius satisdationes semper dicuntur induci.  
Satisdationes dicit rescindi sententia praetoris. Et hoc in loco significat viros, qui stulte timerent, <ne> pro 15 Clodio mutuante pecuniam spondeant, cum saepenumero experti sint multos sponsores eius hoc nexu liberatos, cum se circumventos illius fraude docuissent.
- Frgm.  
XVIII Primum homo durus ac priscus invectus est in eos, qui mense Aprili aput Baias essent. 20  
Consuetudo erat multis ineunte verno ad aquarum, quae sunt in Campania, velut fomenta salubria convenire. . . . igitur intulit personam Clodii quasi priscae severitatis et continentiae viri, cui displiceant et quae non ad delicatam voluptatem, sed ad valetudinis optinendae curam fieri 25 soleant, cum sit ipse omnium libidinum cupiditatibus deditus. Et hinc fiet gradus ad ipsas Ciceronis Puteolanas possessiones, in quas devertere ad oblectamentum solebat.